

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 191

Domino suo Wibaldo venerabili Stabulensi abbatii frater Bovo quicquid patri filius.

In magna angustia et importabili damno post discessum vestrum positi, desiderabiliter vestrum expectamus adventum, quia non solum ab extraneis affligimur, set etiam a nostris inmisericorditer intus et extra opprimimur. In rebus vestris quae circa nos sunt, quantum fidelius spossum elaboro. In prepositura autem, de qua vices vestras ago nichil fructus me agere posse sciatis, quia non solum a Radulfo et Machario in Condustrio, set et a comite Namucensi et suis adversariis in Haspannia preda et incendio vastamur.